



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Agens De Rebus Ecclesiæ Sacris, & profanis, earumque usu, acquisitione,
conservatione, & alienatione

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

Titulus I. De rebus sponte oblatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61834)

TITULUS I.

De Rebus sponte, & liberaliter oblatis.

Dvo sunt modi, generatim loquendo, quibus dominium alicuius rei iuste acquiratur. *Primus* auctoritate Iuris naturalis, aut gentium. *Secundus* auctoritate Iuris humani: idque tripliciter. 1. voluntate, & consensu Principis. 2. illius consensu, qui possidet, quemadmodum in donationibus & contractibus usu venit. 3. dispositione, aut permissione legum, ut apparet in Vlucapione, & præscriptione adoptione, cessione, ac similibus: Vbi differentia est inter spiritualia, & corporalia: in illis enim titulus sufficit, in his addenda traditio. *c. Si tibi absentis. de praben. in 6.* Duo item modi sunt, quibus Ecclesia rerum suarum poritur, unus per munificentiam, alter per iustitiam. Primitiæ offeruntur, Decimæ exiguntur. Ita Religioni simul, & iustitiæ Satisfit. *c. Revertimini. c. Decima. c. Apostolicis 16. p. 1.*

§. I.

De oblationibus in genere.

1. **I**nter ea bona, quæ Ecclesiæ obveniunt, si antiquos mores, & prima tempora inspicias, primum locum oblationes occupant. Nam præterea, quæ in Missa, & pro Missa offerebantur (*Durand. de ritib. l. 2. c. 26.*) actor. *c. 4. circa fin. S. Lucas* narrat. Christianos venditis posses-

sionibus suis pretium illarum posuisse ante pedes Apostolorum. Quod considerans *Innocentius 3. l. 2. de myst. Missæ. c. 27.* dicit, omnes oblationes, quæ Pontifici fiunt, præterquam panis, & quæ dantur pro defunctis, deponi ad pedes ipsius, & ab ipso accipi. Quomodo autem subsequentes Christiani, præsertim Reges, & Principes incitati prænomato maiorum suorum exemplo dotarint ecclesias, & monasteria, invenies apud *Lud. de Bebenburg*, qui Decretorū Doctus & episcopus Pambergensis fuit. *l. de Germ. Principum zelo. c. 5. 9. 19. Baronium in Annal. eccles. Molan. de piis testam. c. 62. Murium Iustinopolitanum lib. Sing. Stapleton. l. 2. de magnit. Rom. Eccl. c. 10. Ad. Contzen. l. 6. Politic. c. 6.* Denique ex *epist. S. Greg. M.* apparet, iam tum Ecclesiæ patrimonium magnum fuisse in Africa, Sicilia, Dalmatia, Gallia, Neapoli, aliisque locis.

II. Donatio, & oblatio non vulgò tantum, sed in Iure quoque confunditur non raro, ita ut eandem rem significant: aliàs propriè loquendo, cum homini aliquid gratis datur, Donatio appellatur, cum autem Deo vel Ecclesiæ, oblatio dicitur. Postmodum usu receptum est, ut specialiter Oblationes dicantur, quæ sub Missâ ab illis, qui interfunt, altari imponuntur, ut panis, Vinum, oleum, cera, thymiamma & similia. *Az. 1. l. 7. c. 27. Suar. l. 1. de*

l. 1. de Relig. c. 4. Maurus l. 1. de instit. Clericor. c. 33. Durantus de Ritib. l. 2. c. 26.

III. Oblationis nomen generaliter sumptum comprehendit omnia, quæ ad Ecclesiam deveniunt, quocumque titulo; cuius generis censentur, quæ in Sanctorum festis portantur ad templum, vel domum Sacerdotis: quæ item intuitu defunctorum, quæ de altari suscipiuntur, quæ ante crucem, quæ in Missa Trinitatis, quæ dantur pro desponsatis, lampades cum oleo, quæ offeruntur alicui capellæ, quæ dantur nuntio destinato per parochiam, quæ pro Missis defunctorum, pro septima, tricesima, anniversario, panes, & quæ infra hebdomadam offeruntur: denique mortuorum iudicia & similia. Quo circa cui tertia pars oblationum debetur, horum quoque tertiam sibi vindicare potest. *Barb. in c. Causa. de verb. signif. & Par. 3. de off. Episcopi. Reginald. l. 19. c. ult. n. 85. Barbos. Tract. de appell. Voc. signif. lit. O. Inschus Conclus. 11.*

IV. Oblationes, quæ fiunt ad Sacrificium Missæ, aliqui apud *Barb. in c. Cum inter vos. de verb. signif.* putant, subrogatas esse loco quarundam decimarum Veteris Testamenti, quas separabat unusquisque & condebat, ut consumeret eas in vestibulo templi Ierosolymitani, Sacerdotibus & Levitis ad mensam vocatis *Deuter. 12. & 14.* Vbi *Cornelius cum Theodor. stabulensi, Oleastro & Caietano* notat triplices decimas Iudæos olim separasse, pro Levitis, Sacerdotibus, & pauperibus, viduis & pupillis: primas omnium frugum terræ, armentorum, & gregum: alteram ex novem residuis partibus, quas ad sanctorum ter in anno deferrent: tertias singulis trienniis in solatium pauperum; qui cum pas-

seribus neque serunt, neque metunt, neque quicquam inferunt in horrea sua.

V. Oblationum tres species sunt *Prima* vocatur donatio rei inter vivos facta Deo vel Ecclesiæ: *Secunda* donatio causa mortis, cuiusmodi sunt Legata *Tertiã* vocamus *Visualem*, quæ nimirum vel ad altare, vel ad manus Sacerdotis fit. *Rebus. de decim. & oblat. Q. 1. Maluc. de oblat. & alii opud Mosconium p. 466* Harum oblationum aliæ dicuntur defunctorum; aliæ festivæ. Illas qui negat, vel contemnit, malè sentire de resurrectione animarum & purgatorio censetur *Festivæ* aliquando debentur ex præcepto, quando nimirum parochi ad vitæ sustentationem necessariae sunt: Imò generaliter præcipi videtur *in c. Omnis Christianus de consecr.* Quod si non fecerint Parochiani, & moniti perdurent in contumacia, Sacramenta illis negari à Parochiis posse affirmat *Glo. in c. cit. Caiet. 22. q. 86. ar. 1. Saar. l. 1. de Relig. c. 5. num. 23. Tann. Tom. 3. D. 5. p. 3. D. 1. Fagund. in 5. Prac. Eccl. l. 4. c. 1.*

VI. Quatuor casus sunt, in quibus facienda necessariò, sive ex præcepto oblatio est, 1. quando consuetudo viget. Nam pia, & laudabiles observandæ sunt *c. Ad Apostolicam. §. Quapropter de Simo. c. Quavis. de decimis Navar. c. 13. nu. 18.* 2. Si parochus, vel Curatus indigeat, ut paulò ante diximus. 3. in solennioribus festis, & Missis, ubi Ecclesia decimis caret. *c. Omnis. Christ. de consecr.* 4. Cùm testamento aliquid relictum est. Nam defunctorum ultima voluntas omnibus complenda est. *c. ul. 13. q. 2. l. 1. C. de sacro San. eccl. Novell. de Nupt. Barb. c. In literis, de Raptorib.* Prædictas oblationes

qui retinere nititur, vel extra ecclesiam parochialem dare, sine episcopi consensu communionem fidelium privandus est. *c. Statuimus* 16. *Q. 1. Conc. Trid. Sess. 22. c. 11.* Vbi *Barb. cum S. Tho. 2. 2. Q. 86. ar. 1.* non nihil variat in 4. casibus numerandis. Nā 1. deberi, ait, per modum census, pensionis, aut contractus cum Ecclesia facti. 2. ex testamento, legato, donatione, aut voto. 3. ad congruam sustentationem. 4. ex consuetudine præscripta, ad quam decennij tempus sufficiat. *V. qua dix. in Par. 1. Summa 11. 3. de Paracho §. 4. Sayr. l. 3. c. 31. Comit. l. 6. c. 23. Jacob de Graff. Par. 2. l. 2. c. 27. n. 6.*

VII. Oblationes à Rectoribus ecclesiarum aliisque Curatis acceptæ non sunt in usus proprios tantum impendendæ, sed etiam in divini cultus augmentum, & necessitatem pauperum. *Causam S. Tho. assignat. l. cit. ar. 2.* quia Sacerdos est quodammodo sequester, & medius inter populum, & Deum, secundum illud *ad Hebr. 5.* Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis. Ideo oblationes, quæ à populo exhibentur ad Sacerdotes pertinent, ut eas fideliter dispensent, tū in suos, tum in pauperum usus. Hi enim, quantum fieri potest, de rebus Ecclesiæ sustentandi sunt, cum decimæ, & oblationes tributa pauperum & egenorum animarum solatium sint. *c. Tua nobis de decimis.*

VIII. Monachi quoque, & religiosi recipere oblationes possunt, uno ex his tribus modis. 1. ut alii pauperes per dispensationem Sacerdotis, vel ordinationem Ecclesiæ. 2. quando sunt ministri altaris, vel loco Curionis Sacramenta administrant.

3. quando illorum parochia propria est. Tunc enim communi cum aliis iure gaudent. *Roder. To. 2. Q. 58. ar. 8.* citans *Bonifacii 9.* privilegium. *Suar. l. 1. c. 6. num. 13. Tanner. 3. D. 5. Q. 3. Dub. 2. Silv. V. Decima. num. 5.*

IX. De consecratis Damasus Papa definit in *c. Hanc consuetudinem. 10. Q. 1.* nisi à Sacerdotibus sumendas esse: de aliis opinio Decii est, à laicis etiam recipi posse, si præscripta consuetudo sit. Quod *Franc. Leo* minimè admittit. Nam 1. Decimæ & oblationes æquiparantur *c. Quævis de decimis, & sunt iuris spiritualis,* cuius incapaces censentur Laici *c. fin. 10. Q. 1. Silv. l. cit. nu. 16. 2.* Non uno loco, puta *c. Antiquos. c. Quia. c. Sanctorum & c. fin.* reprobatur consuetudo quam laici prætereundere possunt de perceptione oblationum. Nihilominus Decii opinio vera est, si de rebus oblatis loquatur, non autem, si de iure. Nam oblata res etiam locis tribuuntur, ad reparationem scilicet & conservationem, maximum ubi magna miracula fiunt, & frequens populi concursus est. Confraternitates laicorum percipere oblationes posse monet *Tuscbus Concl. 4.*

X. Oblationes, quæ in Ecclesia aliena celebranti fiunt, non ipsi, sed Ecclesiæ Rectori cedunt, quia censentur fieri intuitu Ecclesiæ, maximè, si offerentes parochiani sint. Hic tamen in contrarium valere potest consuetudo, vel particularis conventio, ut in multis locis videmus. *Franc. Leo in thes. Pa. 2. c. 28.* Quin etiam offerentium voluntas attendenda est qui, subinde celebrantis causa & commodo tantum offerunt.

XI. Dubitant aliqui, ad quem pertineant oblationes imaginibus, aut statuis factæ

factæ? Aliqui Ecclesiæ ascribunt: alii Rectoribus: alii imaginibus ipsis. Parocho deberi ex receptissimâ sententiâ affirmat *Barb. in c. quia Sacerdotes. x. q. 1. Soncinus* verò, & *Mosconius* volunt attendendum esse, cuius intuitu fiant. In dubio autem pertinere ad Rectorem Ecclesiæ, aut Oratorii, in quo imago colitur, estque hæc opinio *Abbat. quoque & Felini. V. Roder. Tom. 1. q. 36. art. 7. Card. Tuschus Conclus. 12.*

XII. Quorundam hominum oblationes Ecclesiæ non recipit, uti sunt. 1. Fratres discordes. *c. Oblationes Dist. 90.* quod aliqui interpretantur de notoriis tantum, & oblationibus, quæ fiunt ad altare, non verò de aliis, puta, donatione inter vivos, legato, testamento, & similibus. Alii è contra non de spontaneis modò, sed necessariis quoque interpretantur, quas inter Missarum solennia recipiendas non esse, docent in confusionem ejusmodi delinquentium. 2. Raptores. *e. super eo de raptor. nisi ablata restituerint, & de emendatione firmam, ac plenam securitatem fecerint.* 3. Usurarii. *c. quia in omnib. de Usur. ubi præter communionem, & sepulturam negatam, oblationes quoque rejiciendas esse statuitur. V. Suar. l. 1. c. 6.* 4. Sacrilegi. *c. de viro 12. q. 2.* ubi nonnulli, qui sacra vasa, adeoque ipsum Christma pollutis manibus ad communem usum adhibuerant, inunctâ aliquot annorum pœnitentiâ, ne inter Missarum solennia offerant, prohibetur. Illi qui servos suos ad loca sacra confugientes vi extrahunt. *c. Miror. 17. q. 4.* quod est *S. Aug. Ep. 187.* in quò Bonifacium arguit, propter servum ab Ecclesiâ abstractum, & se mandasse Clericis fate-

tur, ne ejus oblationem recipiant. 6. Meretrices, quod aliqui probant argumento sumpto ex *Auth. de Lenon.* Ubi tamen nihil aliud legitur, quàm detestabile scelus eorum esse, qui invitas puellas aliorum libidini exponunt. *Gloss. in c. oblationes D. 92. V. de meretrice.* Denique nihil vetat, alios omnes remove, qui cujusc. enormis delicti reos se fecerunt. *V. Azo. Tom. 1. l. 7. c. ult. q. 17. & Suar. l. 1. de Relig. c. 6.* qui tamen nihil obtare docet oblationi recipiendæ, si crimen personam tantum, non verò ipsam oblationem contaminet, ut in illis fieri potest, quæ non tendunt directè contra justitiam vel Religionem: dummodò scandalum ablit, & dispositio Juris contraria. *Clem. Constit. Apostolicar. l. 4. c. 6. Vallens. l. 3. Paratitl. tit. 30 §. 3.*

XIII. Sitne laudabilis consuetudo, ut Laicis ab Ecclesiâ offeratur v. g. cereus in aliquo festo, Summittæ dissentium: Plurimum repugnat *Sylvester.* Sed admittit *Rosella V. oblatio. n. 2. Fred. Senens. Conf. 155. Greg. Lopez l. 15. tit. 17. Gutierrez l. 2. c. 21. n. 156. Suar. c. 7. n. 20.* Rationem dant, quia in tali donatione seu oblatione nihil aliud Ecclesiâ intendit, quàm ut honorentur Laici, excitentur ad devotionem, confirmentur in charitate, & benevolentia erga res sacras, & personas Ecclesiasticas. Neque timenda est inde subjectio aut servitus aliqua, qua Ministri Ecclesiæ Laicis subjiciantur, quia nec eo fine ab Ecclesiâ datur aliquid, nec à Laicis exigitur. *V. Vallens. loc. cit.*

Tusch. Conclus. 838.

§. II.

De Primitiis.

I. **P**Rimitiæ dicuntur, quasi primi fructus, qui proveniunt: alii optimis quibusque id nominis tribuunt. Melius feceris, primitias appellando primos fructus ex agro perceptos, qui Deo rerum omnium auctori, & largitori offeruntur. Ethnicis eundem morem fuisse Plinius tradit l. 18. c. 2. De tempore institutionis, & quantitate. *Rebusus differit Tr. de decimis. q. 1. n. 17. S. Thom. 22. q. 86. art. 4. Alex. 2. p. q. 52. Suar. c. 8. Barb. in c. decimam. de decim. Jacob de Graff. par. 2. l. 2. c. 27. n. 2.*

II. Lege divinâ scriptâ deberi primitias, & decimas patet ex c. 26. *Deuter. V. 3.* Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesque ad locum, quem Dominus elegerit. Quam legem non servari conqueritur Deus apud Malachiam c. 3. *V. 7.* Et dixistis, in quo configimus te? in decimis & primitiis, subintellige, quas non præstitistis. *Conc. Later. c. 7.* Oportet congruentius, inquit, nos decimas, & primitias, quas jure Sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere, quos fideles Domino præcipiente offerunt. *Fagund. in 5. Prac. Eccles. l. 4. c. 1. Tanner. disp. 5. quæst. 3. D. 1. num. 22. Suarez. lo. cit. n. 3. & seq. Becanus de Pontif. Vet. Test. c. 6.*

III. Primitiæ non tantum jure positivo, sed etiam naturali debentur. Etenim tria in illis distingui & considerari possunt. *Primum est*, ut fructuum aliqua pars in recognitionem beneficii Deo offeratur. *Secundum*, ut pars illa primo-

rum fructuum sit. *Tertium*, ut in tantâ mensurâ, aut quantitate fiat. De secundo, & tertio communis opinio fert, nullum esse præceptum naturale. Neque enim simpliciter necessarium est, Deum colere, offerendo id, quod primò generatur aut crescit, multò minus, ut in hac, vel illa determinata mensura fiat. De primo autem cum S. Thoma fatentur plerique juris naturalis esse, ut aliquid Deo offeratur in recognitionem beneficii fructuum prima generatione præstiti. Non est tamen ita juris naturalis, ut ea, quæ mutationem, & variationem non admittunt, sed ut illa, quæ censentur Juri naturali consentanea, & ex quadam honestate debentur. Natura enim per se inclinat hominem, ut erga supremum Dominum, & benignissimum largitorem gratum se exhibeat, aliquid offerendo. *Dom. Soto. l. 9. q. 5. art. 4. Azor. Tom. 1. l. 7. c. ult. q. 14.*

IV. Si quæris, an oblatio primitiarum, vel alicujus partis fructuum intelligatur esse de jure naturæ, etiam ut distincta est à sacrificio, vel solum, ut in ipso includi, & contineri potest? *R.* Sufficere, ut primos fructus offeramus Deo cū sacrificio, vel in sacrificio. Aliud enim, & amplius ex Juris naturalis præscripto non colligitur: quamvis valde consentaneum sit juri naturali, ut præter sacrificium primitiæ Deo offerantur in gratitudinis argumentum proficundo, eatenus bonorum omnium largitorem Deum esse, cui nos, nostraque omnia debeamus, ut fufius explicat. *Suarez. c. 8. num. 6. & 8.*

V. Unde sequitur, hoc tempore Christianos satisfacere, licet nullas frugum primitias

primitias Deo separatim offerant; modò Ecclesiæ suæ modum, moremque unusquisque observet. Etenim, quod Jus positivum attinet insertum legibus supracitatis, fere omnibus in locis antiquatum est, ita ut hodie per modum tributi & stipendii decimæ, ac primitiæ solvantur. Quod verò Jus naturale est, manere fateor, quoad necessariam Ministrorum Ecclesiæ alimoniam: at quia nunc aliunde satis provisum est, hæc quoque obligatio neminem ligat. *Azor. l. 7. c. 38. q. 3. Bonac. Tom. 2. p. 354. n. 1. Silv. V. Decima. num. 4. Tabiena, Armilla eod. Zerola par. 1. V. Decima. num. 1. Barb. in c. statuimus 16. q. 1. Durantus l. 2. de Ritibus c. 26.*

§. III.

De Donationibus.

I. Quia Oblationes & primitiæ sub eodem genere cum donationibus sunt, de his consequenter agendum est. Donatio autem definitur *rei licita nullo iure cogente, merâ liberalitate facta collatio. Azor. l. 8. Rubr. 53.* Nam quæ sub conditione fit, non cenietur propriè dicta donatio. Legistis Donatio est, cum quis ea mente liberalitatis gratia aliquid dat, ut statim accipientis fiat, neque ullo casu ad se reverti velit. *l. 1. ff. de Donationibus. eaque absoluta & vera donatio dicitur. l. 35. §. 1. & l. 42. in si ff. de mer. cau. donat. Connanus l. 5. cap. 10. Melonius Tit. 4. num. 1.* Perficitur autem vel traditione rei nulla promissione prævia, vel nudo pacto, & simplici promissione. Hac obest stipulationem require-

bat, nunc modo pacto contenta est. *l. si quis argentum C. de Donationibus. Contractus nominatus est, unius partis obligatione ligatus. Iul. Clar. l. 4. sent. §. Donatio quest. 1. Tholojon. in Syntag. l. 28. c. 7. Vvesenbec. l. 39. Pandect. tit. 5. Gomez. Tom. II. cap. 4. Palao. Tract. 32. disp. 2. Pun. 1. Less. c. 18. Dub. 1. num. 5. Treutler. Voll. II. Disp. 19. num. 1.*

II. Donationum duo genera sunt, alterum inter vivos, alterum causa mortis. *Instit. de Donationibus. init.* Inter vivos, quando rem donatam malo habere eum, cui dono, quàm me. Causa mortis, quando rem mihi, dum vivo, retineo, sed malo eam habere illum, cui dono, quàm hæredem meum. Alii aliter definiunt ex *l. 1. ff. de Donationibus. V. Palao loco citat. Pun. 13. num. 3.* Donatio inter vivos proprio nomine dicitur, quæ neque mortis causa, neque nuptiarum, sed à vivente in viventem solius liberalitatis causa fit; solaque voluntatis reificatione sic perficitur, ut traditionis necessitatem adferat; publicis literis consignari, nisi 500. aureos excedat, non debeat: ab ingrato tamen repeti certis causis possit. *l. ult. C. de revoc. don. Vvesenbec. in Pand. l. 39. tit. 5. Layman. l. 3. tract. 4. c. 12. num. 3. & 4. Lessius cap. 18. Dub. 2. Reginald. l. 25. cap. 61. num. 619. Onnate Disp. 31. sect. 1. & sequ. Tuschus Concl. 661. & sequ. Tagard. de Contr. l. 4. c. 5.*

III. Si qualitatem & modum attendis, Donatio inter vivos alia simplex est, seu absoluta, alia conditionalis, cui nimirum annexa causa est, propter quam fiat, intellige, sequentem, non præcedentem; quò refertur etiam conditio & modus.

modus. Aliqui in perfectam, seu propriam, & imperfectam seu impropriam dividunt, quod eodem recidit. *Azor. l. 8. n. 53. Angel. in 7. Donatio*, quem alii *Summista* sequuntur.

IV. Inter donationes ob causam celebris est Donatio propter nuptias: Donatio causa dotis: Donatio remuneratoria, & ea, quam supra causa mortis appellavimus. Donatio propter nuptias est, qua vir uxori dat in vicem, & securitatem dotis, ab eo pro sustinendis oneribus matrimonii acceptæ. Olim donatio ante nuptias vocabatur *l. ult. C. de donat. an. vel pro nupt.* Donatio causa dotis fit marito ab uxore pro oneribus matrimonii. *l. pro oner. C. de ju. dotis.* Ea conitante matrimonio revocari non potest, nisi maritus ad inopiam declinet, vel bona illius fisco inferantur, *l. si constante juncta l. si marito et. solu. matr.* Donatio remuneratoria fit in vicem præstiti officii, antidotalis nuncupata, per se irrevocabilis. *l. aquilius l. si pater 32. tt. h. r.* E contra revocabilis est donatio sub modo, vel conditione (neque enim distingo) si præscriptus modus non servetur ab homine privato. Ecclesiæ enim non oberit nisi expressè cautum sit per clausulam revocatoriam. *Si modus non servetur, irrita donatio est*, aut similis aliqua. *c. Verum de condit. appof. C. de donat. sub modo Baldus, Cynus, Imol. Molina D. 289. Sanch. l. 6. de matr. D. I.*

V. Donatio sæcularis excedens quantitatem 500. solidorum (hodie 800. aureos Ungaricos faciunt teste Wefenbercio) absque insinuatione facta invalida censetur jure civili *l. Sancimus C. de donat.* Non vitiatur tamen, nisi quoad excessum *Gaill. l. 2. obs. 39. Palao Disp. 2. pun. 23. §.*

1. Si autem Ecclesiæ, vel pietatis causa fiat, etiam absque insinuatione valet. Felinus in c. Ecclesiam S. Maria, & communiter alii DD. Nam Juris Cæsarei leges, nisi ab Ecclesia approbentur nihil illi præjudicant, *c. nunquam D. 95.* Cæterum insinuatio dicitur, cum Judex à donante rogatus. Sua auctoritate donationem approbat: ubi requiritur, ut donans voluntatem suam indicet, ipsaque donatio in scripturam, & acta publica redigatur, hoc est, coram Judice divulgatur, & in actis publicis conscribatur: Hodie tamen usu receptum videtur, ut si donatio scripta Judici indicetur, aut denunciatur, nihil amplius exigat. *Onnatus de contract. disp. 30. sect. 2. Tusch. Concl. 646. n. 70.* Ab hac insinuandi necessitate libera est donatio facta in redemptionem captivorum, reparacionem ædium ruina, vel incendio cõsumptarum: item in milites ab ipsorum præfectis. *l. pæn. C. eod.* Præterea donationis à Principe Superiorem non agnoscente alicui privato, vel contra à privato Principi factæ. *Glo. in l. Sancimus. eod. Onnatus. l. cit. sect. 9. Palao l. cit. §. 5.* Denique insinuationem juramento suppleri, confirmat. *Soncinus, Rubens, Jul. Clarus Gaill. l. 2. obs. 39. Less. c. 18. D. 13. num. 100.*

NOTA. Solidus in Jure Cæsareo pro aureo accipitur, quorum 72. libram conficiunt. *l. quotiescunq. C. de susceptor. & arcar. l. 10. Glo. ibid. in V. aur. auri.* Sed quia in singulis ferè Provinciis alius valor est, ad legales reducere oportet, & curare, ut suppleatur, quantum deest, ad conficiendam libram ex 72. aureis: & quia plerumque minores sunt hodierni nostri, evenire potest, ut septingenti non excedant summam quingentorum, quæ absq; insinuatione

auatione legibus permittitur. Coloniz, ait Gail. l. 2. obs. 39. n. 4. mille ducentorum, & Aquisgrani duum mille aureorum monete currentis donatio valeret, absq; insinuatione facta. V. Tusch. Concl. 646.

VI. Episcopus, & Prælatus Ecclesiasticus absque consilio Canonicorum, aut fratrum suorum non potest magnas donationes facere de rebus Ecclesiz, aut Monasterii, factasq; revocare licet successori. Neque enim domini rerum, sed administratores, & Procuratores sunt. c. sine exceptione l. 2. q. 2. c. fraternitatem 2. de Donat. c. nulli de reb. Eccl. alien. c. Abbati dist. 54. Vivianus in c. Apostol. de donat. Roder. To. IV. c. 15. Tusch. Concl. 683. Fagund. de Contr. l. 4. c. 3. n. 9. De qua re amplius in Tit. ultimo, ubi de alienatione bonor. Eccles. Sermo erit.

VII. Idem de Laicis potestatibus dicendum, posse nimirum Successorem in Regno aliquo vel principatu revocare donationes factas à prædecessore, si inde resp. graviter læsa videatur. Quamvis enim major regum, Principumve, quam Prælatorum Ecclesiasticorum in bonis temporalibus potestas sit, non licet tamè ea quæ ad Coronam ipsam, ejusque conservationem spectant, temerè alienare. c. Apostolica eod. tit. Molina tract. 2. de Majoralib. D. 576. n. 9. Barb. in cit. Apostolica.

VIII. His non obstantibus, cum de donationibus agitur contra donantem, plenissima interpretatio facienda est, ita tamen ut nemini præjudicetur. c. cum dilecti 6. de donat. Similiter clausula onerosa post multas donationes posita, proximam tantum respicit. In fine citati cap. additur gradatio notatu digna. In contractibus, inquit, plena, in testamento plenior, in

beneficiis autem (non deviantibus à jure communi) plenissima est interpretatio facienda. Abb. Innoc. Imola. Ostiens. Vivian. in Rationali. Barb. in c. dilecti. de donat. Rora in noviss. decis. part. 1. decis. 366. Alex. Conf. 12. lib. 2.

IX. Illorum, qui donare non possunt, Silvester undecim, Angelus viginti tria genera numerat. Brevitatem sectantibus pro generali regula sit, neminem jus donandi habere, qui vel propria bona non possidet, vel eorum administratione caret, aut lege prohibetur. Iisdem tamen permittitur modicas largitiones, & statui suo convenientes facere. VVesenbec. in Pand. l. 39. tit. 5. n. 4. Tholos. l. 28. c. 7. Az. To. III. l. 11. c. 3. q. 1. Laym l. 3. tr. 4. c. 12. Arm. n. 3. Onnatus disp. 30. Sect. 5. Filliuc. tr. 34. c. 2. Escob. tr. 6. exam 4. c. 2. Fagund. l. 4. c. 6. n. 13.

X. Donatio simplex, & merè liberalis facta conjugum à conjugum non continuo firma est, sed pro arbitrio donantis revocari potest. l. 3. §. sciendum. l. sed interim tit. de donat. inter vir. & ux. c. ult. eod. tit. Melonius tit. 44. n. 36. quia amor prodigus est, & inopiam parit Bald. Confil. 29. Eadem tamen morte donantis confirmatur, si nullo modo revocata est. l. Res uxoris. l. donationes, quas parentes. C. de donat. in vi. & vx. Requiritur autem, ut rei donatæ traditio antecesserit. Excipe 1. conjuges Principes, quorum contractus instar legum obligant. l. pen. C. de donat. in vi. & ux. 2. donationes, in quibus donans non fit pauperior, & accipiens non fit ditior. Gl. in c. donatio eod. tit. 3. Si vir uxori dotem promissam remittat l. si constante. C. de donat. ante nupt. 4. vel si uxorem dotet causa remunerationis, ut si juvencula seni, aut nobilis ignobili nupsit. Glo. in l. sivo-

luntate C. de dotis promiss. §. Si conjux in domo conjugis gratis habitare permittatur, vel illius servis, aut vestimentis ulus fuerit. 6 Denique si donatio remuneratoria sit. l. quod autem §. si vir ff. de donat. inter vi & ux. Panor. in c. donatio eod. n. 42. Azor. l. cit. Tanner. in 22. D. 6. q. 2. D. 2. n. 25. Gail. l. 2. obs. 39. Tusch. Concl. 690. Melonius loco cit. num. 37.

XI. Nec omnino firma est donatio patris purè & simpliciter facta filio in potestate suâ constituto. Sitamen res ipsa tradita fuerit, & nūquam revocata, morte patris confirmatur, perinde, ac si ab initio valuisset. l. 2. iunctâ Glo. V. adminicula C. de in off. donationibus. Palao disp. 2. pun. 26. §. 1. 3. Treutl Voll II. Disp. 19. n. 3. Illud in dubio est, an simplex donatio facta liberis in potestate patria constitutis post illius mortem conferenda sit? 1. Donatio facta filio emancipato conferenda est. l. ut liberis C. de collationib. 2. facta liberis in patria potestate constitutis post patris mortem non est conferenda, quæ censetur à patre, ut præcipuum filio relictu arg. l. par. C. de collat. Excipe, nisi pater, cum revocandi jus haberet, voluerit, ut conferretur: vel nisi frater aut soror talem collationem petat, eò quòd ipsi quoque donationem seu simplicem, seu ob causam v. g. propter nuptias, aut dotem conferre teneantur, ut sic evitetur inæqualitas. 3. Donatio ob causam facta, puta, propter nuptias, aut dotem post mortem patris, vel avi donatoris conferenda est, juxta l. cita. V. liberis & l. pen. C. eod. Excipe, nisi donans expresserit, nolle se, ut filius vel filia hanc partem præcipuam haberet, tamen sine diminutione legitimæ aliis liberis debita juxta Auth. ex testa-

mento C. eod. Idem dicendum de donatione facta filiis ob ingressum religionis, vel in patrimonii titulum ad sacros ordines suscipiendos, quia per hoc non minus, quàm per nuptias stabilem statum acquirunt. 4. Nō conferuntur, quæ filiofamil. ad militiam vel aulam Principis proficiscenti donantur: neque quæ pater filio ad studia literarum mittit l. quæ pater ff. familia herciscunda. 5. Non conferuntur, quæ filio dedit pater liberè, vel expendit ad instituendam peregrinationem, redimendam captivitatem, solvendam multam ex delicto contractam. l. liber captus C. de captivis: item quæ accipit ad publicos ludos, aliamve honestam recreationem, convivium Doctorale, primitias, ad comparandum beneficium, vel artem addiscendam: quia hæc omnia ad decentem, & honestam sustentationem necessaria sunt. l. quæ pater ff. herciscun. fam. Molina D. 240. Nav. c. 17. n. 165. Less. c. 18. D. 12. Vasq. de testam. c. 7. n. 147. Laym. l. 3. tract. 4. c. 12. n. 12. Gail. l. 2. ob. 38.

XII. Donatio nondum acceptata revocari pro libitu potest Gomez l. 2. c. 4. Less. l. 2. c. 18. Palao. Disp. 2. Pun. 2. §. 31. §. 4. acceptata verò & perfecta non potest revocari ad libitum donantis l. ult. C. de revoc. donat. Generaliter sancimus omnes donationes lege confectas firmas illibatasque manere. Juvari enim nos, non decipi beneficio convenit. l. in commodato ff. commodari.

Excipe 1. Si donatarius ingratitude vitio laboret: cujus numerantur quinque species in se. cita. Prima est, si manus impias donotari inferat. Secunda, si atrocem contumeliam vel injuriam in eum properat. Tertia, si grave damnum bonis ipsius conciliet. Quarta, si vitæ ipsius insidias struxerit.

seruerit. *Quinta*, si conditionem appositam donationi implere voluerit. *Abb. c. ult. de don.* Cum autem prædicta pœnalis sit, ad similes casus extendi non debet. *V. Melon. Tir. 44. n. 25.* Quid verò, inquit, si juramento firmata Donatio sit? nihilominus revocari poterit, quia juramentum sequitur naturam actus, cui superadditur. Cum ergò valor donationis pendeat à prædictis quinque casibus, adeoq; donatio sit conditionata, cessante conditione perit substantia actus, & quod adhæret illi juramentum. *Palao l. cit. n. 6.* Non licet tamen hæredibus etiam revocare donationem, quia jus revocationis censetur esse personale, quod non egreditur limites suos à legibus constitutos *l. c. ult. de donat. ubi Glo. & alii* notant etiam in hæredibus donatarii cessare potestatem revocandi donationem.

Excipe 2. Si donatio liberis inofficiosa sit, legitimam illorum tollens, vel diminuens. *l. 1. & seq. C. de in off don.* Neque hic juramentum patris oberit, quia in favore liberorù à Jure talis revocatio statuta est.

Excipe 3. Inopinatam prolis susceptionem. *l. si unquam C. de revoc. donat.* Nititur exceptio hæc verosimili præsumptione. Nemo enim censetur ita posteritatem suam despiceret, ut extraneos præferre malit. *Schneidevvin. l. 2. Inst. tit. 7. § sciendum n. 9.* Hæc tamen & priora sic accipienda sunt, ut Ecclesiæ nihil præjudicent: quia illius causa, non minus, quàm filiorum favorabilis est. Cedendum nihilominus ulque ad legitimam filiorum, quæ illis danda *Felinus in c. in præsentia de probat. Comitulus l. 7. quest. 7.* Expedire quoq; DD. monent ad vitandas offensiones, ut quod Ecclesiæ aut Monasterio donatum est,

totum reddatur liberis, quemadmodum Aurelium Carthaginensium Episcopum fecisse *S. Aug. Sermon. 9 de diversis restatur.* Quàm laudabile, inquit, factum *S. Aurelii Carthaginensis Episcopi*: Quidam enim, cum liberos non haberet, nec speraret, res suas omnes, reservato sibi usufructu donavit Ecclesiæ. Nati sunt ei filii nec opinanti, reddidit Episcopus eam, quæ donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non poli. *Silv. V. Donatio l. n. 16. Tholos. l. 28 c. 9. & 19 Azo. III. l. 11. c. 8. Less. c. 18. D. 14. Laym. l. 3. tit. 4. c. 12. n. 17. Tanner. III. D. 6. q. 3. D. 2. Vallens. l. 3. tit. 2. §. 1. n. 7. Vivianus in c. ult. de donationibus. Connanus l. 5. c. 10. n. 3.*

XIII. Quod diximus, inopinatz prolis ortu donationem revocari usque ad legitimam, intelligi volumus de donatione bonorum omnium ac jurium acquisitorum, non verò acquirendorum. Unde renunciatio hæreditatis nondum aditæ, sive ea delata sit, sive tantùm sperata, prolis insperatz susceptione non revocatur. Cum enim citata lex exorbitans sit, de donatione semel factâ revocanda strictè interpretanda est, ut non intelligatur, nisi de donatione propriè dictâ, quæ est juris acquisiti, non verò acquirendi. *Covar. l. 1. c. 19. & Tuschus Concl. 712.* cum aliis multis quos magno numero allegant.

XIV. Donatio remuneratoria eo modo, & iisdem causis, quibus donatio simplex, non revocatur. *l. si pater ff. de donationibus.* ubi disertis verbis edicitur, revocationi locum non esse, nisi in donationibus omninò liberis, & gratuitis, quia instar contractus se habet, Quam ob causam supra usi de industria

Mm 2

sumus

sumus terminis, qui donationem simplicem exclusivè denotent. *Gloss. 2. in l. fin. & ibi Bald. Salic & alii. de revoc. donat. Tholosan. l. 28. c. ult. Onnatius disp. 30. Sect. 12. Palao disp. 2. Pun. 22.*

XV. Donatio causâ mortis revocari potest 1. quodocunq̄ pœnituerit donatorem. 2. Si cesset periculum, cuius intuitu promisit. 3. Si donatarius ante donatorem vita excedat. Si autem, qui promisit, & donavit, non revocaturum se juramento edixerit, in donationem inter vivos factam mutabitur. *Covar. de testam. par. 2. n. 37. Tholos. l. 28. c. 14. Reginald. l. 25. c. 61. n. 619. Dynus Consil. 44. Onnatius disp. 31. Sect. 6. Tuschus Conclus. 672. Melon. l. cit. num. 57.*

XVI. Si donatio ob causam præteritam, vel præsentem fiat, ea non subsistente invalida censetur, nisi donator actu, vel habitu ita affectus sit, ut putetur, nihilominus velle illam valere. *l. 1. C. de dona. sub mode. Tuschus Conclus. 631. & 636. n. 22. Ratio*, quia ejusmodi donatio involuntaria est, & ex errore profecta. Neque ignotum est, alios quoque contractus concidere, quibus error & ignorantia causam dedit. Si tamen res absolutè donetur, nec circa substantiam rei, vel personam donatarii error sit, aut substantiam ipsius actus: sed solùm circa conditionem accidentariam, aut causam secundariam, non erit planè irrita, quamvis arbitrio donantis revocari queat. Donatarius autem, si non fuit erroris causa, retinere donum potest, donec revocetur. *Medina in 22. q. 24. Lessio 18. D. 17. At, inquis, unde sciam, quomodo affectus fuerit donator? R. ex conditione dantis & accipientis; item ex causa propter quam,*

quæ si non excludat alias censerì potest, ratam velle donationem suam. Exemplum in paupere habes, qui morbum, vel sanctitatem simulat. Movetur ad dandum Cajus, quia putat sanctum esse, quod licet verum non sit, verum nihilominus est pauperem esse. Censetur ergo elemosinâ dedisse pauperi propter Deum, si ve sanctus sit, si ve non sit. Vnde nec ad restem obligamus id genus hypocritas, quia intentio donantium est, in paupere promereri gratiam Dei, qualiscunq̄ tandem ille fuerit. *Less. l. cit. n. 13. Soto l. 9. q. 7. art. 3. Mascard. Conclus. 560. Fagund. l. 4. c. 4. num. 4.*

§. 4.

Satisfit Dubiis circa donationes.

DVE. 1. An & quomodo locum subinde habeat Donatio tacita?

Resp. Sola rei traditio tacitè facta non sufficit, ut donata censeatur. Vnusquisque enim ad lucrandum & acquirendû, quàm relinquendum penior esse præsumitur. *l. cum de indebito ff. de probat.* Bartolus igitur ex conjecturis discernendum monet. *l. qua dotu ff. solu. matr.* Conjectura autem sumi potest ex antecedentibus, subsequentiis, & præsentibus. Puta 1. ex contanguitate. Hinc quæ dantur à contanguineis sponsæ, acquiruntur viro, quia donata censentur, & quæ à contanguineis viri, acquiruntur sponsæ ob eandem causam. *Barb. in l. si plures §. in ar. rogato ff. de vulg. & pupill. institut. Menochius de arbitr. Casu 88. 2.* Ex meritis, & obsequiis præstitis. Post hæc enim quod datur pro dono, & munere suscipitur. *l. si verò non remunerandi §. Idem Papinianus ff. Mandati.*

Mandatum. Si quid offeratur ob pietatem. Sic in *l. liber captus C. de capt. & post limi-
no reversus*, mater, quæ filium captivum
redemerat, fecisse traditur, non voluntate
reperendi, sed donandi ob maternum af-
fectum, & votum. Idem iuris est, si Mater
filio det quicquam causa alimentorum.
Idem, si genere det extra dotem præseate
filia. *l. Qui dotis. ff. Solu. matrimonio. 4.* Si
extraneus dotem mulieri det, nec à marito
stipuletur, ut soluto matrimonio redda-
tur. *l. ult. C. de in. dot. l. un. de rei ux. act.
cod. 5.* donatum censetur illud, quod à vi-
ro nobili & divite ultrò offertur. *Glo. in l.
Vxor. §. ult. ff. de lega. III. Tiraq. de nobil.
c. 3. n. 47 Barb. in c. Etsi questiones de Si-
mon. 6.* Illud quoque, quod propter ami-
citiã patris expenditur in filium, qui à
suspectis tutoribus defraudatur. *l. si, qui a-
micitiam ff. de neg. gest. 7.* Avus nepoti suo
alimenta subministrans censetur donasse,
cùm nihil aliud expressit, præsertim, si
valde egeat nepos, & expensæ sint medio-
eres. *l. Nefennius ff. de neg. gest.* Ex quibus
omnibus colligitur, non sufficere ad do-
nationem, si quid detur, tradatur, vel
committatur, non declarando, in quem fi-
nem detur, cum id ex mente Auctoris
pendeat, quæ varia esse potest. *Mench. de
arbitr. Casu 88. Az. III. l. 11. c. 13. Foll. Tr.
33. c. 4. si fin. Tuscibus Concl. 660.*

DVB. 2. An valeat donatio absenti fa-
cta?

R. valere. Nam si quid obstaret, maxi-
mè defectus acceptationis. Hanc verò per
procuratorem, vel rebellionem exequi li-
cet: esseque opinionem hanc communem
testatur *Surdus Decis. III. n. 6. & Onnatius
disp. 30. Sect. 10. At, inquis, nunquam invi-
to bene facimus. Ita est. Sed plurimum di-*

stat, absentem, & invitum esse. Nam sicut
alia negotia per procuratorem, ita con-
sentum quoque perficimus, præsertim in
materia gratiosa, qualis donationum est.
Addit *Bart. in l. iam dubitari. de her. inst.*
quamvis requireretur acceptatio imme-
diata, sufficeret quælibet simplex, & non
formalis declaratio animi, quæ quolibet
tempore fieri potest. *Angel. in l. Cum pro-
ponas. C. de bonis anst. Ind. possid. Natte
Conf. 474. l. 3. nu. 20. Steph. Gratian. De-
cis. 39.*

DVB. 3. Quomodo acceptanda dona-
tio, ut firma sit?

R. Tria requiri. 1. ut donator volunta-
tem sicam per literas, aut nuntium signifi-
cet. Nihil enim agit, cui nihil mandatum,
aut commissum est. *Clarus l. 4. p. 12. 2.* Cùm
per nuntium agitur, coram eodem, non
coram aliis facienda acceptatio est. Si au-
tem per literas, per literas reciprocè men-
tem suã donatarius aperire debet. *Sancho
de matr. l. 1. D. 7. nu. 35.* Valebit etiam abs-
que literis, si de mente donatoris non exi-
gentis constet. 3. requiritur, ut donatio ante
acceptationem non revocetur, nisi
nuntius non sit merus relator, sed man-
datum habeat exequendi donationem.
Tunc enim non obstante revocatione,
ius acquirit Donatarius ad rem sibi vendi-
candam. *Sancho l. cit. Mol. D. 164. Less.
c. 18. D. 7. Tanner. III. D. 6. Q. 2. dub. 2.
num. 49.*

DVB. 4. Quinam acceptare donatio-
nem pro absente queant.

R. Præter generalem aut specialem ne-
gotiorum gestorem seu procuratorem
acceptare potest, qui ita sub potestate ab-
sentis donatarius est, ut sui iuris non sit, pu-
ra filiusfam. pro patre, servus pro domino.

M m 3

religio-

religiosus pro Prælato, quia censentur una persona. 2. qui aliorum curam gerunt, ut tutores, curatores, principes, patroni, & similes. 3. qui ex donatione absentis facta commodum reportat, vel aliquo onere levatur, cuiusmodi est creditor pro debitore, socius pro socio, maritus pro uxore. 4. quivis Prælati pro Ecclesia vel pia causa secundum *Glo. in c. Quoties. 1. q. 7. §.* iuxta communem hominum sensum etiam amicus pro amico, sed ita, ut talis acceptatio nullam obligationem pariat, aut actionem tribuat in foro civili, nisi iuramentum accesserit. *Covar. in c. Quamvis patrum par. 2. §. 4. Less. c. 18. dub. 6.* Ex quibus colligimus, non sufficere, ut quis præfens sit donanti, audiatque verba ipsius & mentem perscipiat; sed necessarium est, ut ad eum verba dirigantur: alioqui nullus effectus sequetur, nisi forte, ut testimonium reddat in dubio rogatus. *V. Palao Tr. 32. disp. 2. Pnn. 4. Sanchez lib. 1. Disp. 6. n. 20. & disp. 7. n. 35. Layman l. 3. Tr. 4. c. 12.*

DVB. 5. Cùm res aliqua donata dicitur, cunctane illi coniuncta simul esse donata censentur?

R. nequaquam, sed ea tantùm quæ pertinent ad quidditatem, & integritatem rei donatæ. *Ex gr.* *Dono tibi equum, vaccam, villam.* Ad integritatem equi non pertinet sella, neque ad integritatem vaccæ fœtus, neque ad villam statua, & imagines. Vnde in *l. Cùm de donatione ff. de Donat.* legimus. Cùm de donatione quæritur, neque partus nomine, neque fructuum, neque pensionum, neque mercedũ ulla donatio esse facta videtur. Quod Glossa sic explicat. Cùm quæritur, an donatio sit facta ultra modum, an secus, non

spectatur, si ancilla donata pariat, vel fructus faciat res donata vel pensiones, vel mercedes ex re donata proveniant, ut ex hoc videatur donatio maioris quantitatis. Pari modo, quamvis donato castro iurisdicatio quoque donata censetur, non continuò tamen iura spiritualia accidentaliter illi connexa: ut neque si quis dicat, *Dono tibi villam meam, & omnia iura, quæ in illa habeo,* nō includuntur iura spiritualia, quia hoc signum *Omnia,* nō extenditur ad ea, quæ sunt alterius naturæ, & generis. *Panorm. in c. Sedis. de rescr. Bald. de feudis Rubr. §. 1. Silv. n. 10. citans Panorm. & Innocent. in c. ex literis de iur. patron.*

DVB. 6. An cui non licet donare, prohibita sit etiam donatio remuneratoria. Triplex est remuneratoria donatio. 1. per quam merita compensantur ad æqualitatem, ita, ut nisi fieret, intentari posset actio negotiorum gestorum. 2. qua simili modo merita compensantur, ita tamen, ut non facere careat reprehensione, quia magis ex liberalitate, quàm debito procedit. 3. qua superatur æqualitas meritorum, moderatè tamen, quatenus grati animi est, non superari benefactis, sed æquare illa, vel superare. Hoc posito.

R. Cui non licet donatio simpliciter, licet donatio remuneratoria, seu antidotalis. *Ratio.* quia non est donatio simpliciter à sola liberalitate procedens, sed aliquo modo debita, si non rigorosè, saltem congruè ad declinandam ingratitude notã. Quæ etiã causa est, ut revocari nequeat. *l. Aquilius. l. si pater 34. ff. h. e. & Prælati ecclesiasticis quoque permittitur. c. Si quos 12. p. 2. ubi definitur, Prælatum, qui absque solennitate non potest alienare res Ecclesiæ, posse facere etiam sine sollemnitate remuneratio-*

nerationes conuentientes. *Covar. in c. cum in officiis de testam. nu. 9. l. l. clar. l. 4. Q. 3. Silu. V. Donatio l. p. 3. Armilla n. 18. Comst. l. 7. Q. 3. Layman l. 3. tr. 4. c. 12. n. 10. Vallens. l. 3. tr. 24. §. 5. Palao Disp. 2. pun. 25. §. 7.*

DVB. 7. Quando, & quomodo valida sit omnium bonorum donatio?

Invalidam esse omnium bonorum presentium & futurorum donationem. *l. Stipulatio hoc modo concepta ff. de verb. obl. l. Si liberus §. si quis plures ff. de iure patr. nisi ad pias causas factam supra indicavimus num. 5.* Hic maior quædam illius dubii declaratio exigitur. Pro quâ

R. Validam esse bonorum omnium etiam futurorum donationem 1. si ad pias causas fiat. *l. iubemus §. 1. C. de sacros. eccl. cult. de success. ab intest.* Nam *l. Stipulatio hoc modo ff. de verb. oblig.* contrarium dictans non obtinet contra Ecclesiæ permissiõnem, & constitutionem. *Covar. de testam. Pa. 2. n. 5. Molina D. 286. Felinus in c. in presentia de probat. Az. 3. l. 7. c. 7. Q. 8. Rodrig. 2. Q. 48. ar. 2. 2.* Si fiat causa mortis. Sic enim non impeditur libertas testandi, quemadmodum in donatione inter vivos. *l. Clarus Q. 19. n. 7. Mol. lo. cit. Laym. l. 3. tr. 4. c. 12. n. 6. 3.* quando excipitur usus fructus, modo tantum sibi seruet, ut præter alimenta sibi necessaria testamentum condere possit. Ea portio à quibusdã ponitur vicefima pars bonorum; alii prudentium arbitrio relinquunt. *Fachin. l. 6. Controv. 6. 89. Gaill. l. 2. Obs. 127. Az. 3. n. c. 7. Q. 4. 4.* Si iuramento firmetur. Quamvis enim sit contra bonos mores civiles, quo argumento contraria opinio nititur apud *Barthol. l. Stipulatio hoc modo, & alios;* non est tamen contra bonos mores ecclesiasticos. His enim admittitur, & laudatur bonorum

omnium abdicatio, cum & illa, & semetipsum quilibet à mundo separare, & cultui divino consecrare possit. *Covar. & Felin. sup. cit. Less. c. 18. d. 13. Bonac. To. 11. p. 631. Card. Tuschus Conc. 648. Palao. D. 2. P. 24.*

DVB. 8. An subsistat donatio omnium bonorum presentium, & futurorum, quam sibi invicem duo fratres faciunt.

R. Subsistere favore agnationis seu consanguinitatis. Præsumitur enim fieri ad conservandum & augendum familiæ statum, & dignitatem. Ita communiter DD. sentire testatur *Boerius decis. 358. l. l. Clarus l. 4. Sent. Q. 20. c. fin. Mol. l. 2. de primog. c. 10. & Mol. nofter D. 280. Palao Disp. 2. pun. 24. nu. 9.* Imò non solum inter fratres, sed inter quoscunque valet donatio omnium bonorum post mortem collata. *Clar. Q. 19.*

DVB. 9. An gravis læsio donantis irritam faciat donationem?

Duas opiniones *Steph. Gratianus* refert in *Decisione 40.* Negativam tuetur *Decius consil. 31. Covar. in c. Quamvis de pactis in 6.* & alii quidam, loquentes de iis maxime, qui religionem ingrediuntur, in quibus non videtur attendenda læsio, cum ex liberalitate procedat. *l. 1. ff. de Donat.* excipi tamen potest enormis læsio, quam difficile est prævidere, & quæ fit absque accurata bonorum suorum æstimatione. Tunc enim censetur defuisse necessarius consensus, ad liberam abdicacionem & alienacionem bonorum; adeoque restitutio facienda erit, quantum exigere videtur necessitas eorum, qui donarunt.

DVB. 10. An patronus ecclesiæ ius presentandi aliis donate queat.

R. donare posse ecclesiæ vel monasterio alicui, vel etiam homini laico. Pro hoc autem

autem opus habet consensu episcopi, alio qui invalida erit donatio *Decis. conf. 541. Rochus de iure patron. Q. 2. n. 3.* At verò ecclesie vel monasterio alicui absque consensu episcopi donare licet. *c. 1. de iure patron. in 6. & c. illud eod. V. Barbof. in c. illud. & c. Cura. de iure patronatus.*

DVB. 11. In dubio utri censeatur donatum ecclesie, an episcopo.

R. Ex qualitate rei & conditione personæ donatæ iudicandum esse. Nam si donanti nulla sit cum episcopo consanguinitas, amicitia, aut similis nexus; res vero eiusmodi, quæ ecclesie ministerio servire queat, non episcopo, sed ecclesie tributa censebitur. Si vero ex earum genere, quæ ad statum episcopi, commoditatem vel oblectationem conducatur, episcopo potius, quam ecclesie adiudicabitur. Nemo enim prudenter iudicare potest, tamen ex. gr. aut falconem ecclesie donari, ut neque è contra pallam altaris, mensæ episcopi, quamvis in aliquo eventu non repugnet aliter fieri *c. Acquisivisti de testam. Mascard. de probat. concl. 968. n. 2. Bardus dissectat. 6. de hum. act. proxima reg.*

DVB. 12. An valida sit donatio metu extorta?

Metus duplex est, Gravis & levis, idque per se, vel respectu personarum, quibus adhibetur. Rursum alius iuste alius iniuste incussus. De hoc

R. Donatio metu iniusto extorta nullam conscientie obligationem inducit, & secundum Iuris dispositionem, rescindi debet. *Valent. 4. D. 10. q. 3. Vasq. 12. D. 27. n. 7.* Patet ex *c. Cum locum. de sponsal. ubi Alexand. 3. respondet.* Consensus locum non habet, ubi est metus, & coactio. Cui accinit *lex 1. ff. de eo, quod metus causa.*

Quod metus causa gestum est (*verba Pratoris sunt*) ratum non habebit. Adde, quod ratio, & æquitas non permittit. Est multorum DD. opinio apud *Comsol. l. 3. Q. 2. & 3.* quinquam ex malitia sua lucrum facere, aut frui illis bonis, quæ per vim, & iniuriam obtinuit. *l. pen. C. de legatis.* Imò probabile est non tantum donationem, sed quemlibet alium contractum à metu quamvis levi, ut causa vel conditione sine qua non, principaliter causatum in foro conscientie irritum ac nullum esse, quemadmodum pluribus confirmat *Less. c. 17. D. 6. Tannebus To. 3. D. 4. Q. 6. dub. 11. nu. 319. Silv. V. Metus Nav. c. 22 nu. 51. Az. 3. l. 4. c. 23. Valent. 3. disp. 5. Q. 6. puncto 5. 6. Quapropter Diana Tr. 5. Resol. 117. Contrariam opinionem iustis rationibus nixam non pauciones sequuntur, ut *Tit. 7. §. 4. videris.**

DVB. 13. De donationibus Novitiorum regularium.

Ordinis Religiosi susceptio ante professionem per se nihil juris tollit Novitio, si alias ei competebat: ac proinde superflua videri posset quæstio de donationibus, & contractibus Novitiorum, nisi obstaret *Conc. Tr. dispositio in Sess. 25. c. 16.* ubi legitur. Nulla renunciatio aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in favorem cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia episcopi, sive eius Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta etiam si cum huius favoris expressa renunciatione, etiam iurata sit irrita, & nullius effectus. *Ita Conc. Trid. secundum cuius mentem.*

R. Ut donatio alicuius Novitii regularis

els valida sit, duplex solennitas requiritur. Vna est, ut fiat cum licentia episcopi, vel ipsius Vicarii: altera ut fiat intra duos menses professioni proximos: ut nimirum abdicatio bonorum maiori cum libertate, & minori fraude fiat: querelis & exceptionibus futuris aditus præcludatur. Quæ autem in particulari hic discutienda essent, brevitatis studio omittimus. Legi potest cum *Declarat. Cardinalium Sanchez l. 7. Moral. c. 5. n. 64. & seq.*

DVB 14. An donator aliquando de evictione teneatur donatario?

R. In duobus casibus de evictione, & omnium damnorum compensatione teneri. Primus est, quando malitiosè egit, rem donando, quam sciebat alienam esse. Dolus enim verò nemini prodesse debet, obesse potest *l. Verum § Tempus ff. pro socio*. Secundus, quando promittit certam speciem: se donaturum, puta tres equos vel boves. Tunc enim si unus illorū evincatur vel pereat, de substituendo alio manet obligatus. Quod in promissione unius certi individui non contingit. *Az. 1. l. 1. c. 20. Q. 2. Navar. c. 12. n. 45. ibi V. Religio 11. Q. 6. Tolet. l. 4. c. 17. n. 6. Mol. Disp. 251. par. 3 §. Secundo sumitur. Fagund. de Contractib. l. 4. c. 1. nu. 9 & sequ. Palao Tr. 32. D. 5. Pun. 24. n. 10 & sequ.*

§. V.

De Donatione Constantini Imperatoris.

I. DE hac donatione *Gratianus in Dist. 96. c. 13. ex Actis S. Silvestri* ita narrat. Constantinus Imperator coronam, & omnem regiam dignitatem in Vrbe Romana, & in Italia, ac partibus oc-

cidentalibus Apostolico concessit. In *c. sequenti* uberius rem explicat. Quod etiam *Leo IX. præstat in ep. 1. seu libello adversus inauditas præsumptiones Michaelis Constantinopolitani*. Brevissime *Innocentius III.* Constantinus Imperator ex revelatione divina per B. Silvestrum à lepra per Baptismum liberatus Urbem pariter, & Senatum cum hominibus, & dignitatibus suis, & omne regnum occidentis ei tradidit, & dimisit, secedens ipse Bizantium, & regnum retinens sibi Orientis. Coronam verò capitis sui voluit illi conferre, sed ipse pro reverentiâ clericalis coronæ, vel magis humilitatis causâ noluit eam portare. Verumtamen pro diademate regio vitur aurifrigio circulari. Ex auctoritate Pontificali constituit Patriarchas, Primates, Metropolitanos, & præfules: ex potestate verò regali Senatores, præfectos iudices, & tabelliones instituit. Romanus itaque Pontifex in signum Imperii vitur Regno, & in signum Pontificii vitur Mitra: sed mitrâ semper vitur, & ubique: regno autem nec ubique nec semper, quia pontificalis auctoritas & prior est, & dignior, & diffusior, quàm imperialis. Ita *Innoc. Papa in Serm. 1. de S. Silvestro*, quem videntur posteriores secuti.

II. Hanc Constantini M. donationem pro vitibus impugnant Hæretici nostri, & aliqui ex Catholicis apud *Everhardum in Loco à Verosimili*, odio parum, & partim ignorantia accensi. Sciendum itaque Instrumentum Donationis Constantini à Græcis Romani primatus osotibus primò editum ex Actis falsis Silvestri Papæ confictum sub nomine Eusebii fuisse, tum ut persuaderent, privilegia Romanæ Ec-

Nn

clesiæ

clesiæ non à Christo, sed Constantino esse, tum ut sui Patriarchæ primatum stabilirent. Quocirca ad probandam donationem Constantini nullius Edicti vel instrumenti fide opus est. Nam etiam Ottonis III. Imperatoris circa Annum 1337. diploma vulgatum est in odium Romanorum Pontificum, quo prædictum Constantini edictum falsum, & confictum esse dicitur ab impostote quodam Ioanne Diacono cognomento digitorum Mutio. Hisce igitur semetis pro dignitate, & iurisdictione Summi Pontificis sufficere debet Christi ordinatio, qui in S. Petro omnibus successoribus privilegia, quibus nunc fruitur Ecclesia Romana, donavit. Ita *Baron. ad Ann. Chr. 324.* secutus quorundam Canonistarum opinionem, quibus multi Theologi contradicunt. Et certè non apparet, quomodo Urbis Roma cum aliis possessionibus immediate à Christo tradita, aut donata sit. *V. Bellarm. l. 5. de pont. c. 4.* ubi probat Papam directè nullius loci esse dominum temporalem iure divino.

III. Igitur bona temporalia Ecclesiæ Romanæ à Constantino potissimum, deinde aliis Regibus, ac Principibus à Deo impulsis obvenisse dicendum est. De facto probant omnium temporum historia. De iure instrumenta donationum authentica, quæ Romæ asservari *Bellarm. tradit. lo. cit.* addens, quamvis nihil horum extaret, abundè sufficeret tot annorum præscriptio. Nam etiam regna & imperia per latrocinium acquisita tandem longo tempore fiunt legitima. Alioquin enim, quo iure Iul. Cæsar occupavit Rom. Imperium, & tamen tempore Tiberii Christus ait, *Matth. 22. V. 21.* Reddite,

quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Quo iure Franci Galliam, Saxones Britanniam, Gothi Hispaniam invaserunt? & tamen quis hoc tempore regna ab illis constituta illegitima esse diceret? Sic *Bellar. l. 5. de Ro. Po. c. 9. Adam Conzen. l. 6. Politic. c. 6.*

IV. Præstaret, *inquis*, Pontificem tantum Spiritualia tractare, temporalia verò Reges, ut in V. T. factum est. *R. cum Bellarm.* quamvis absolute loquendo, præstaret secundum illud *Matth. 20.* Reges gentium dominantur eorum: Vos autem non sic: tamen propter malitiam temporum experientia docet, non solum utiliter, sed etiam necessariò, & ex singulari Dei providentia Pontifici, & episcopis donatos esse principatus temporales. Si enim in Germania episcopi Principes non fuissent, nulli ad hunc diem in suis sedibus permansissent. Sicut ergò in V. T. diu fuerunt Pontifices sine imperio temporali, tamen ultimis temporibus sub Machabæis simul regiâ potestate fulserunt, ut religio melius defenderetur, ita Ecclesiæ accidit, ut post aliquot sæcula bonis temporalibus, & potestate etiam seculari augetur. Neque obstat illud *Apostoli 2. Tim. 2.* Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: quia per negotia secularia non intelligitur regimen politicum, sed cura paranti victus negotiationes, mercimonia, & similia. *Nuza Tra. 2. par. 3. §. 12. Efferen in Manuali politic. l. 4. pun. 3.*

V. Eos, qui prædictam donationem Constantini ex Catholicis (*qualis est Vala, Igneus, Baldus, & Cagnolus*) impugnant, non procul ab hæresi abesse sicut alios omnes, qui affirmant, non esse validâ, testatur Abbas, Rolandus, & alii quidam, citati

citati à Barb. in c. Constantinus Dist. 96. Tholof. de Rep. l. 25 c. 10. Everb. in loco à Verosimili nu. 15. & seq. ubi in utramque partem multa connumerat.

VI. Si qui hodieque supersunt, qui de ista donatione dubitent, vel temerè factam, temerè existiment, causas velim attentius considerent, quæ Constantinum impulisse videntur.

Prima est. Quæ à DEO largissima manu acceperat, eidem pietissimus Imperator reddendum censuit, secundum illud Paralip. c. ult. Tua sunt omnia, Domine, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Quid enim causetur Imperator, ne meliora det, cui plurima dedit Deus habere, & multorum dominum esse, & facile dare, & maximè sanctissimis ecclesiis: in quibus optima mensura est donatarum eis rerum immensitas. Iustin. Collat. 2. Nov. 7 c. 2. De non alienandis, vel permut. reb. Eccles. Tiraguell. de Nobil. c. 37. Card. Mantica de ambig. convent. Tom. 11. l. 13. tit. 17. num. 8. Raudens. Consil. 1. num. 308. Carol. Tapia Decis. 5. num. 97. Barbos. in c. Sedes. de Rescript. num. 2. & c. Constantinus Dist. 96. nu. 5. Gretzer. in Comment. de Imper. & Regum munificentia in Sed. Apost. Item Apolog. pro Baronio, & Exam. mysterii Plessaani c. 10.

Secunda. Dominia & terræ, quas dedit, principum tyrannide erant oppressæ, quibus sub Ecclesiæ regimine quies futura erat. Ost. de immun. Eccl. n. 12.

Tertia. A Deo retributionem multò maiorem expectabat. Neque enim ab ho-

mine vinci se liberalitate Deus unquam patietur. Tob. c. 4. n. 23.

Quarta. A leprâ incurabili per Baptismum liberatus fuit: insignem præterea victoriam contra Maxentium tyrannum divinitus obtinuit. V. Spondan. in Annal. Anno Chr. 312. n. 8.

Quinta denique. Nullum damnum aut præiudicium in rep. vel subditis metuendum erat: imò utilitas, tranquillitas, & maior prosperitas speranda, si ab ecclesiastico Magistrato regeretur. Quam ob causam credibile est, facilius consensum præstitisse. Neque enim, ut aliqui somniant, invitis, & repugnantibus Dynastis & populo prædicta donatio facta est, quemadmodum in c. Constantinus Dist. 99. his verbis indicatur. Utile iudicamus unacum omnibus Satrapis nostris & universo Senatu, & cuncto populo Romano imperio subiacenti, ut sicut B. Petrus in terris Vicarius filii DEI videretur esse constitutus, ita & Pontifices Principatus potestatem amplius, quàm terrena imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videretur, concessam à nobis nostroque imperio obtineant. V. Iusthum. V. Donatio. Concl. 689. Huc etiam pertinent pia legata, quæ ecclesiis, aliisque piis locis, aut personis per ultimas voluntates relinquuntur, cum donationes quædam sint, sed melius infratt. 4. de testamentis explicabuntur.